DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XIII.

PONT. MAX.

A. D. FRANCISCO PIGNATELLO

EX DUCIBUS MONTISLEONIS

Collegii Clementini Convictore.





ROMÆ MDCCLX.

Ex Typographia Chracas, prope S. Marcum in via Curfus.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XIII.

PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS PIGNATELLUS

FELICITATEM.



AGNA *animi fiducia ad ſublimem thronum* SANCTITATIS TUÆ *accedo exiguam hanc meam, atque incomptam Orationem oblaturus: exiguam quidem pro loci, & temporis opportunitate; incomp-*

tam verò, quoniam omnem verborum, & elegantiarum pompam non respuit tantùm, sed plane vetat gravissimum, & ineffabile de TRINITATE *argumentum. Mysterium hoc est, quod cultu prosequi nos debemus, non verbis explicare. Quanto autem cultu, quàm pio, quàm singulari illud* SANCTITAS TUA *prosequatur, non audeo dicere ego unus, sed Urbs omnis plenis vocibus dicit, & universus Catholicus orbis prædicat, Religione ipsa cum gaudio, & plausu complectente sanctum illud Decretum, quo sapientissime jussisti, ut in iis Dominicis diebus, quibus Sacerdos elata voce præfatur trisagium angelicum arcanis verbis consecrationis, relicta in sua sede antiquiore præfatione, illa, quæ semel dumtaxat per*

anni

anni circulum in ſolemni feſto TRINITATIS *recitabatur, ſemper recitaretur ad magis amplificandam gloriam* AUGUSTISSIMÆ TRINITATIS. *Libenter hìc omitto, ne ſim Tibi gravis, quæ in te ſplendent, omnium Virtutum decora: & dum Tuæ ſaluti, cui omnium noſtrum ſalus nititur, a Deo Uno, & Trino flagrantiſſimis votis diuturnam precamur fauſtitatem, provolutus in genua poſtulo mihi Tuam Apoſtolicam benedictionem.*




IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus Archiep. Nicomediæ Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patr. Mag. Sacr. Pal. Apoſt. Soc. Ord. Prædic.



ORATIO.



UAMVIS, BEATISSIME PATER, AUGUSTISSIMÆ TRINITATIS Myſterium humanæ menti impervium, ſublime, ineffabile ſit, & cenſeatur, non ita tamen Divina Sapientia voluit tam denſo tenebrarum velo obduci, ut aliqua ejuſdem imago in noviſſimo creatarum rerum & condendo, & condito opere non præluceret. Quum iis omnibus, quæ Deus creaverat pulcherrimum illud elo-

elogium adposuisset, *esse valde bona*, dum ad hominis fabricam longe ceteris præstantiorem manum omnipotentem admoveret, quasi ad consilium advocans, tres Divinas Personas magnifice fando nuncupavit, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* (a). Adposite Ambrosius de dignitate conditionis humanæ ait, *ita non solum jubentis imperio, sed consilio* SANCTISSIMÆ TRINITATIS, *& opere majestatis divinæ creatus homo* (*b*); qui, si attentiori cura se, suamque naturam ad examen revocet, se unum quamquam ex corpore, & ex animo coalitum, & tres in suimet animo facultates apertissime deprehendet. Propterea Bernardus optime animadvertit: *Mens imago Dei est, in qua sunt tria, idest memoria, intelligentia, & voluntas. Per memoriam Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui Sancto* (*c*). Unde consurgit in homine

(a) *Gen.* 1. (b) *Ambr. c.* 2.
(c) *Ber. med. c.* 1.

mine perfecta similitudo cum Deo, qui Unus, & Trinus est.

Sed heu dira, & nunquam satis dolenda calamitas! Honorificentissimam hanc cum Deo similitudinem turpiter fœdavit, ac pene delevit flagitiosissimus primi hominis divini mandati contemptus, & inobedientia. Justissimo Domino justissima præcipienti contumax Adam parere noluit, imaginem sanctissimam dehonestavit, & se jumentis insipientibus immiscens similis illis factus est.

Verùm, quam homo cum Deo similitudinem miserrime perdiderat, placuit beneficentissimo auctori clementissime reparare. Et, si in homine condito obscuriore significatione TRINITATIS mysterium obumbravit, in ejusdem reparatione longe clarissimo testimonio voluit manifestare. Dum enim factus homo immergitur in Jordane, ut elegantissime Ambrosius advertit, *aquas sanctificat, & purificatione sui purificat fluenta illa, quæ tangit, ut secuturis postmodum populis lavacri gratia mi-*

nistretur (d). *Jesu* itaque *baptizato*, *&* *orante apertum est cælum*, *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*, *& vox de cælo facta est; Tu es Filius meus dilectus*, *in te complacui mihi* (*e*). Ecce Spiritus Sanctus præferens Columbæ speciem ; ecce omnipotens Pater dans vocem de cælo; ecce unigenitus Filius, in quo sistitur complacentia Patris; & in his tribus tota simul præsentissima TRINITAS declaratur. Imago itaque illa, quam per creationem homo acceperat, & quam per peccatum amiserat, per baptismi regenerationem restituitur,ut evidentiùs in homine profunditas mysterii, & sublimitas repræsentetur.

Quid plura? Per ejusdem TRINITATIS invocationem quotquot Christianæ Religioni nomen damus, justificamur, ex mortis tenebris eruimur, in admirabile vitæ æternæ lumen perducimur, & dum aqua salutari in baptismo conspergimur, tum Fidei, Spei, & Charitatis donis locupletamur,

(d) *Ambr. de Bap. Dom.*
(e) *Luc.* 3.